



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 56. Paulus Tigrinus deceptor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

§. LVI.

saecul. XIV.  
A. C. 1385.

*Paulus Tigrinus deceptor.*

**P**apa Bonifacius in libertatem asseruit

Paulum Tigrinum deceptorem Graecum, ab Urbano addictum carceri. Parentibus egenis in quadam insula natus cum aliis consiliorum suorum consciiis & adjutoribus inibi conscendit navem, se perhibens Patriarcham Constantinopolis. Primo in Cyprum venit, cujus regem coronavit, & ab eo tricies mille florenos aureos accepit dono. Ex omni parte fiebat hominum concursus eum veluti Papam rogantium gratias, quas caro ementibus facile concedebat, magnam pecuniae vim sibi parans. Romam delatus eandem agere personam voluit: sed Papa Urbanus illum quaestiuunculis excuti jussit: & supervenientes quidam ei dicebant in faciem, verum Constantinopolis Patriarcham a se in Graecia eodem anno conspectum fuisse. Ita convictum fraudis Urbanus privavit opibus, in carcerem misit, & ibi detinuit per reliquum pontificatus sui spatium.

*Juv. Urs.*

*p. 78.*

*Labour. l. 9.*

*c. 10. m. f. 78.*

*Fel. lib. hist. S.*

*Ben. p. 305.*

At cum Bonifacius IX coronaretur, ex more cum captivis caeteris ille dimissus est liber. Sabaudiam tunc profectus, quod verum Constantinopolis Patriarcham Comiti junctum cognatione sciret,

*Hist. Eccles. Tom. XXIV. Gg hunc*

Sæcul. XIV. hunc adiit Principem, seque illum esse  
A. C. 1390. affirmans, cum arborem genealogicam  
 exhiberet, fidem fecit. Comes optime  
 recepto largiter de suo dabat, & pro digni-  
 tate vestitum cum duodecim equitibus  
 Avenionem misit, Clementi eum ut Con-  
 stantinopolis Patriarcham, & cognatum  
 commendans suum. Fallebatur etiam  
 Clemens, cui Paulus exposuit, quid Ro-  
 mæ ab Urbano passus esset; quia tuam  
 ad causam me adjunxeram, inquebat,  
 & asserueram, eum religione obstringi,  
 ut te agnoscat Papam legitimum. Am-  
 pliter donatus abiit.

Tum invisit Regem Franciæ, qui eum  
 honorifice, ac benignissimo excepit vul-  
 tu. Commentitius Patriarcha pietatem  
 magnam præferebat, libenter obiens  
 templa, & cœnobia. Inter alia Diony-  
 siopolitanum ingressus ad Abbatem &  
 Monachos, Scio, aiebat, hic jacere ossa  
 Sancti hujus. At ego alias ejus res præ-  
 claras teneo, velut cingulum, multosque  
 libros egregios, qui his in regionibus  
 non habentur. Tradam vobis eos, si  
 jungatis mihi duos e vestro numero.  
 Juncti sunt: ducebat illos usque ad ma-  
 re; cui se cum opibus suis clanculum  
 committens eos reliquit. Volebant Pau-  
 lum sequi, & Romam usque ibant: ubi  
 esse deceptorem edocti suum relegerunt  
 iter.